

libris soli supersunt. Quibus qui vulgo praemittuntur xxiii versus longe ineptissimi, ei primum aut in Pii editione Mediolanensi prodierunt, ut suspicabar in commentatione 'de crisi Plautina' p. 200 [= Opusc. vol. II p. 56], aut in eo exemplo quod numero 5 signatum ibidem descripsi p. 189 sqq. [= Opusc. vol. II p. 44: hoc, non illud, verum esse Ritschelius p. 48 ipse docuit]: in quo etsi illi, quod tum nesciebam, leguntur sane, tamen de tempore quicquam definiri nequit. Nec mirum novicii supplementi etiam codices quosdam novicios participes esse: nam non in Longolii tantum 'codice Romano' illud repertum est, ut l. s. s. p. 167 [= Opusc. vol. II p. 17] dixi: qui 'codex' dubitari potest scriptusne liber an impressus interpretandus sit: sed exstat etiam in Florentino U. Eodemque spectat quod in Florentino Q duae paginae ita sunt vacuae relictæ, ut in fine demum alterius duo versus illi vere Plautini scripti sint, his autem adscripta in margine Ciceronis ad famil. IX 16 narratio de Servii Clodii iudicio Plautino'.

Personarum nomina in codice Vetere in mediis sermonibus per hanc fabulam fere constanter singulis tantum litteris notantur, ut P sit pro Pseudolo, non PS., B pro Ballione, non BA. vel BAL., C pro Calidoro, S pro Simone, C pro Calliphone, H pro Harpace, CH pro Charino, C pro coquo, S pro Simia vel potius Sycophanta, et colore partim rubro partim caeruleo, non atro. 'Vnde cum postmodum demum eas esse adiectas intellegatur, minus etiam mirandi sunt tot errores in distinguendis fabularum Plautinarum personis admissi. Cuiusmodi erroris vix aliud exstat tam luculentum exemplum, quam quod in Ballionis persona cernitur in ultimam scaenam perperam inventa, a qua dubitari nequit quin illa tam sit aliena quam est patienter adhuc tolerata' [Ritschelii sunt verba]. Hoc tamen in praefatione monuisse satis erit. Ac ne reliquorum quidem codicum compendia in annotatione ubique imitatus sum.

Ipsi autem fabulae qui nomen dedit servus utrum Pseudolus recte appelletur an Pseudulus, multum disceptatum est. De qua re cum Ritschelius proleg. p. CCCXVIII paucis ita disputasset, ut recentiorem esse contenderet *Pseudolus*